

**Dissertationem de balneis veterum valetudinis caussa adhibitis / ... p. p.  
Christianus Meusel.**

**Contributors**

Meusel, Christian.  
Brendel, Adam, -1719.  
Universität Wittenberg.

**Publication/Creation**

Vitembergae : Ex Officina Meyeriana, [1712]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ywhjhz2k>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*L. B. V*  
AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
**FRIDERICI AVGVSTI**

PRINCIPIS REGI ET ELECT. SAX. HEREDIS

DISSERTATIONEM

DE

**BALNEIS VETERVM  
VALETUDINIS  
CAVSSA ADHIBITIS**

OCCASIONE LOCI HORAT. L.I. EP. XV. v. V.VI.VII

PRAESIDE

**ADAMO BRENDELIO**  
PHIL. ET MED. DOCT. HVIVSQ. P.P. EXTR  
POES. ORD

*P. P*

**CHRISTIANVS MEVSEL**

MERSEB. SAX

MED. C

XI. KAL. APRIL. 10 CC XII

H. L. Q. S

---

VITEMBERGAE  
EX OFFICINA MEYERIANA

FRIEDRICI AUGUSTI  
PRINCIPIS ET DUCIS  
DISSESTATIONE  
DE  
BALINES AETHRA  
VANTUDINIS  
CASSADPHIBITIS  
ADAMO HEDBIO  
CHRISTIANAE MESA

---

EX ORIGINE VERBI  
CARLEMANNICUS


DE

# BALNEIS VETERVM VALE- TVDINIS CAVSSA ADHIBITIS

Horat. L. I. Ep. XV. v. V. VI. VII

fane myrteta relinquì,  
Dictaque cessantem nervis elidere morbum  
Sulphura contemni.

I.



**V**ictus, vivendique, rationem consti-  
tuimus, ita vel secunda, vel adversa,  
utimur valetudine, et modo vitam,  
nullis tentati morbis, prorogamus, mo-  
do eandem, immatura rapti morte,  
deponere cogimur. Nam quamdiu  
homines tenui, ac simplici, victu con-  
tentii, lautas epulas ignorarunt, et o-  
leribus famem, sitim vero aquis, sustentarunt, quod priscis  
illis temporibus mortales fecisse, memoriae proditum est,  
nec morbis illi conflictati sunt, nec eorum nomina inno-  
tuerunt: quemadmodum Plato tradit, distillationes, quas  
graece κατάρροις vocamus, et quibus hodie nihil frequen-  
tius est, usque ad Socratis tempora incognitas fuisse, L. III.  
de Republ. adeoque illa tempestate aut nulla, aut pauca,  
remedia extitisse, tametsi Homerus Aegyptum multis me-  
dicamentorum generibus abundasse, scripserit Odyss. Δ.

Αγυπτίν, τῇ πλεῖστα Φέρει ζείδωρῷ ἀρουρᾷ  
Φάρμακα, πολλὰ μὲν εὐθλὰ μεωγμένα, πολλὰ δὲ λυγερά.

A 2

Postea

Postea vero, quam a tenui illa, ac simplici, victus ratione homines paulatim deflexerunt, ac varia gulæ blandimenta, et in ille coquorum artes, excogitarunt, immo praemia iis, qui novum aliquod voluptatis, et luxuriae genus invenissent, proposuerunt, quod Xerxem fecisse, accepimus, novae, ut sapienter Seneca disputat, Ep. XCVI. morborum species genitae sunt, et adhuc quotidie gignuntur, quae ad inveniendam medicinam homines coegerunt, qua semper carere licuisset, nisi intemperans, et voluptuaria, vita eius usum maxime necessarium effecisset. Sic diu post Hippocratem pueros, et mulieres, podagra excruciare coepit. sic hydrophobia, seu aquae metus, Aristoteli, et antiquis, ignota, ut et elephantiasis, patrius Aegypto morbus, Pompeii aetate fese prodiderunt. sic Tiberium Imperatorem primum colo dolore affectum esse, compertum habemus. sic Plinii aevomentagra, stomachace, et scelotyrbe, innotuerunt. sic patrum nostrorum memoria detestanda lues venerea, ea que pene exitialis, universas regiones invasit, gravissimeque diveniat. Ut proinde illum errasse mihi non videatur, qui tot esse, et adhuc nasci, morborum species, quot nova ciborum genera inventa sunt, et etiamnum inveniantur, affirmari. Idem quoque sentit Horatius, qui post ignem, a Prometheus hominibus e coelo illatum, h.e. vitam voluptuosam, quae multas habet artes ministras, varia morborum genera mortales adorta esse, scribit Carm. L. I. Od. III.

post ignem aetherea domo  
subductum, macies, et nova febrium  
terris incubuit cohors,  
semotique prius tarda necessitas  
lethi, corripuit gradum.

Quapropter etiam Aeschylus comminiscitur, eundem Prometheus

metheum medicinam pariter, ac pharmacorum missiones, invenisse, ut his depellerentur morbi, quos libidinosa, et luxurians, vita pepererat.

εἴτις εἰς νόσου πέσοι,  
οὐκ ἦν αἰλέξημ' ὅδεν, γάδε Βρώσιμον,  
οὐ χρισὸν, γάδε πινὸν, ἀλλὰ Φαρμακῶν  
χρεῖα κατεσκείλλοντο, πρὶν εἶγα σφίσιν  
ἔδειξα πράσεις ἡπίων αἰθασμάτων,  
αἷς τὰς ἀπάσας ἔχαιμοντα νόσους.

Quae verba scholiaста hanc in sententiam ita enarrat: εἴτις ἀρρωστήσειν, οὐκ ἦν ὄυδεν Βοήθημα Θεραπείας, οὔτε διὰ Βρώσιμως προσΦερόμενον, οὔτε διὲ ἐπιχείρεως ἔξωθεν, οὔτε διὰ πόσεως, αλλὰ πάντες διεΦθείροιτο τῇ ἐνδείᾳ τῶν Φαρμακῶν· πεὶν η εἶγα ἔδειξα αὐτοῖς κεκάσματα, καὶ θεραπείας, πρέσυνουσας τὰς νόσους. In Prometheus vincito.

## II.

Ita, crescentibus ex intemperantia, et luxuria, morbis, crevit sensim medicina, quae angustis initio finibus circumscripta, paucarum fuit scientia herbarum, quibus sistebatur fluens sanguis, et vulnera paulatim coibant: εὐβολάναις ἦν αἰχαδία ιατρική, ut habent parva scholia Hom. Iliad. M. αἰς μὲν ἀλκος ἐτέρσετο, πάνσατο δὲ αἷμα, quia inter non multa auxilia adversae valetudinis plerumque tamen ea bona contigit, ob bonos mores, quos neque desidia, neque luxuria, vitiarunt, ut Celsus scribit in praefat. indeque necesse non erat, circumspicere multa auxiliorum genera, cum essent morborum paucissima, et homines propter simplicem, paucumque, victum salubrius vivebant, quam ubi varia, et multiplex, haec medicina reperta est, quae vix aliquot e nobis ad senectutis principia perducit. Non quod illa fallax, et incerta sit, ac suis operandi facultatibus destituatur: nam et gubernator vult, salva nave, in portum venire, si tamen

tempestate fuerit abreptus, ideo minus erit gubernator; et medicus sanitatem aegri petit, si tamen valetudine, aut intemperantia aegri, aliove quo casu, summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinae fine non excidit, scite scribit Quintilianus Instit. Orat. L. II. c.XVII. non quod natura exiguum nobis vitae spatiū, ac debiles vires, concesserit: satis illa longa, et in maximarum rerum consumationem large data est, neque debiles vires accepimus, sed facimus, nec inopes vitae, sed prodigi sumus. Praeclare hanc in rem Sallustius in princ. bell. Iugurth. sin captus pravis cupidinibus, ad inertiam, et voluptates corporis pessundatus est, perniciosa libidine paucis per usus; ubi per intemperantiam, et socordiam, vires, tempus, ingenium, defluxere, naturae infirmitas accusatur, suam quique culpam actores ad negotia transferunt. Ex quibus, eam in sententiam allatis, patebit, intemperantiam, quam medicorum nutricem vocat Barthol. de Moor Cogitat. de instaurat. med. Lib. III. et lautas epulas, varios habere morborum comites, corpusque solvere, ac debilem, et brevem vitam, efficere. Ut recte dixisse mihi videatur Diogenes apud Stobaeum Sermon. VI. τῶν δικῶν ἐνθα πλείση τροφὴ πολλοὺς μῆς εἶναι, καὶ γαλᾶς· καὶ δὴ σάματα τὰ πολλὴν τροφὴν δεχόμενα καὶ νόσους ἵσους ἀφέλειεσθαι. Quare mirari non oportet, quamobrem aetas nostrarum bororum adeo foecunda, et vita multo contractior, sit, ac citius, vix medio vitae spatio decurso, finiatur, quia propter multitudinem, et varietatem, ciborum, quae plena est voluptatis, multa, et varia morborum semina in corpus sparguntur, quae quando germinant, et adolescent, atque ad maturitatem suam perveniunt, lethales fructus proferunt. Audiamus Senecam, graviter hanc in sententiam differentem: innumerabiles esse

## VALETUDINIS CAVSSA ADHIBITIS

5

esse morbos, non mirabere, coquos numera: quam celebres culinae sunt, quanta circa nepotum focos iuventus premit? transeo pistorum turbam, transeo ministrorum, per quos, signo dato, ad inferendam coenam discurritur. Quantum hominum unus venter exercet! quid tu illos boletos: voluptuarium venenum nihil occulti operis putas facere, etiam si praesentanei non furant? Ep. XCV. Ac nescio, an non etiam, soluto ab intemperantia, et pessum dato corpore, vires mentis, quae illo, tanquam instrumento ad obeundas functiones, utitur, solvantur, et extingvantur? Sienim verum est, quod dixerit Democritus, ἀνηψ ψυχὴν ἀναστοφωτάτην, nemo sane hoc inficias ibit, animam luxuria, et voluptatibus, diffluentem, semperque madidam, esse stupidissimam, quia corporis sui, quo cum arctissime confociata est, temperiem, et naturam, sequi cogitur. Apposite Hippoc. Lib. I. de Diaeta II X. οσέρπει ἵς ἀνθρωπον ψυχήν μοῖραν σώματον ἀνθεώπου ἔχουσα. τρέφεται δὲ καὶ αὐξεῖται διαιῆτη τῇ περὶ τὸν ἀνθεώπον. Ad quae verba, a Galeno enarrata, Hier. Mercurialis Var. lect. L. IV. V. haec notat: his vero, et multis aliis rationibus, demonstrare conatus est Galenus, Hippocratem, Platonem, et Aristotelem, animam nostram si non ipsissimam corporis temperaturam, saltem eius sequacem existimasse. Ut adeoque in promptu ratio sit posita, quam ob rem intemperantes, et voluptuarii, cum viribus corporis, animae quoque facultates perdant, et extingvant, quia succi vitales, ac sigillatim spiritus, quos vocant, animales, variis inquinamentis, ac fodiibus, obruti, atque polluti, ex praescripto naturae officia non faciunt, et vel segnius iter per corpus peragunt, vel, facto quasi agmine, divergantur, ac totam oeconomiam animalem labefaciunt, atque convellunt;

vides;

vides, ut pallidus omnis  
coena defurgat dubia? quin corpus onustum  
hesternis vitiis, animum quoque praegravat una,  
atque affigit humo divinae particulam aurae.

scribit Horatius L. II. Serm. II. Has igitur usuras voluptatum, ultra modum, et fas, concupitarum, pendimus, et blanditiis praesentium illecebrarum deliniti, ac cupiditatibus occoecati, relicta bona via, nos convertimus ad se<sup>t</sup>tandam prayam, quae clanculum ad letales infirmitates, et praematuram senectutem, deducit, cum, priusquam quadragesimum aetatis annum attigerimus, pene decrepiti simus.

## III.

Ita intemperans, et voluptuaria, vivendi ratio, quae tam foecunda morborum mater est, medicinam maxime necessariam efficit, et mortales ad invenienda remedia adegit, ut morbos, quorum alii sero, alii nunquam, medelam receperunt, profligarent. Quorum quidem cum permulta, eaque innumerabilia, et tam interna, quam externa, inventa sunt, tum in primis balnea frequenti in usu fuerunt, quae, ut Clemens Alexandrinus scriptum reliquit, η καθαριστητος ονεια, η αλεας, η υγειας, η το τελευταιον, η δονης, vel, quod addit Columella, ad expellendas per sudorem cruditates, ab ingluvie, et luxuria, genitas, ingrediebantur. Ita enim ille habet Praefat. L. I. R. R., ubi intemperantiam, et alia vicia, perstringit: mox deinde, inquit, ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem laconicis excoquimus, et, exucto sudore, sicutim quaerimus, noctesque libidinibus, et ebrietatibus, dies ludo, atque somno, consumimus. Quapropter in praesenti de balneis a veteribus valetudinis caussa adhibitis, data ab Horatio nobis occasione l.c. disputabimus, quae, quia late patent, et illorum varia fuerunt genera, ita

ita cuncta pro instituto, quoad nostra intererit, nunc ordine persecuti sumus.

## IV.

Pervulgata autem, et ab ultimis deducta temporibus, ac omnibus usitata populis, consuetudo balneorum est, in quibus sordes, a laboribus, ac sudoribus, ut et illitis ungventis, contractas, abluebant pariter, atque vires recreabant. Ita sentio, cum in mentem venit recordari Vlyssis apud Homerum, qui cum ad Circen post longos viarum errores, et multos perpeccos labores, ingressus erat, confestim lotus est:

Αυτὰρ ἐπειδὴ ζέσσεν ὕδωρ εὐλογοποιούσης χαλιῷ,  
Ἐς δὲ αἰσάμινθον ἔσσασα, λόδη ἐκ Λρίποδος μεγάλοιο,  
Θυμῆρες κεράσασα καὶ κράτος τε καὶ ἄμων,  
Οφρεα μοι ἐκ κάματον Θυμοφθόρον ἀλετο γυίων. Odyss. K.

Ex quibus liquet, priscos mortales balneis calidis usos esse, ut partim fractas a laboribus vires repararent, partim ab illis in primis inquinamentis corpus, quae delibuti ungventis, contraxerant, repurgarent. πάρα τὸ τὴν ἄστιν, ὃ εἰς ῥυπον, μινύθειν, ἤγουν ἀλατοῦν, καὶ μεῖον, ut habent parva scholia ad h. l. ῥυπα enim huiusmodi sordes sunt, quae ex illuvie pingvium corpori affricantur, aut σπίλοι, ὃι τῷ χεωλὶ ὑπόντες, ut enarrat Aristophanis scholiasta: et quia, abstersis a corpore sordibus, vires pariter balnea instaurabant, et anxietatem, langvoremque, eximebant, ideo nomen ἀπὸ τοῦ βάλλειν τὰς αἵρεις, ut etymol. habet, tulerunt. Quorsum etiam respicit Eustathius ad h. l. ubi scribit, τελικόν ἐπιν ἀγτιον τοῦ λούσαθαι δῆλον γάρ, ὡς λόυσθαι τις, ἵνα ἐξέληται τοῖς θερμοῖς ὕδασι τὸ ἐκ τοῦ καίμαντον κακόν. Atque haec antiquissima balneorum consuetudo fuit, ut quotidie sordes eluerent, possentque mundo coenare corpore, ac vires quoque recreare, quo usque, interiecto tempore, ea in medicinam illata, et cum

conservandaे valetudini, tum sanandis morbis, accommodata est, quam omnium maxime aestimatam esse, et cunctis aliis magis usitatam extitisse, Galenus, dum omnes fere homines quotidie lavarentur, docet. L. III. Comm. de viet. acutor.

## V.

Ac ultimis quidem temporibus, quibus mortales tenui, et simplici, vietu vitam sustentabant, simplex quoque, et nullo magnificentiae apparatu distincta, balneorum conditio fuit, dum illi vel vivis fluminibus, quia lineorum pannorum usus vel nondum inventus, vel infrequens, fuit, atque magna ex parte nudi incedebant homines, indeque corpora pulveribus, et aliis sordibus, inquinabant, semet abluebant, vel illa extra urbes erant exstructa. Illud declarat Virgilius, quando Aeneam, e bello reversum, et multo caesorum sangvine, ac pulvere, contaminatum, in aquis fluvialibus lotum esse, scribit L. II. Aeneid.

donec me flumine vivo

abluero.

**Conf. L. IV. Aeneid.** Hoc vero Eustathius, et Athenaeus docent, τὰ βαλανεῖα οὐδ' ἐντὸς τῆς πόλεως ἥθελον εἶναι οἱ παλαιοὶ αὐθρώπων. **Odyss. Δ. Deipnos. IX.** Atque hic simplex balneorum usus ut apud alias gentes diutissime stetit, ita primi fuerunt Graeci, qui eundem, quod ex Vitruvio de Architectura patet, immutare, et magnificentius balnea exstruere, coeperunt, quo usque demum apud Romanos penitus indesuetudinem abiit, et, crescente indies luxu, crevit pariter balneorum magnificentia, ut quisque pauper sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes illorum magnis, et preciosis, orbibus refulsiſſent, nisi alexandrina marmora numidicis crustis distincta fuissent, nisi illis undique operosa, et picturæ

rae modo variata circumlitio praetexeretur, nisi vitro conderetur camera, nisi aquam argentea epistomia fudissent; ne statuarum, et columnarum, nihil sustinentium, ornamentum fileatur, quod libertinorum balnea habebant, ut nihil, nisi gemmas, calcare vellent. Seneca Epistola LXXXVII. Atque tanto luxu, et magnificentia, non solum balnea publica exsplendescabant, sed etiam privata varietate marmororum, et sumptuosa fabrica, illis inferiora non erant, quod balneum Etrusci a Statio Sylv L. I. V. et Martiali L. VI. Epigr. XL II. descriptum, declarat. Nam praeter marmora, quibus etiam limina exornabant, eadem insuper colorum varietate dispungebant, ut radii, ab illis reflexi, aciem oculorum perstringerent.

ibi marmore picto

candida purpureo distinguitur area gyro.

Scribit Statius Sylv. Lib. II. II. atque hoc marmorationis genus opus Alexandrinum vocabant, seu quod Alexandrinum marmor adhiberetur, sive quod in Alexandrina primum repertum sit; ita enim habet Aelius Lampridius in Alexander Severo: Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus h.e. porphyretico, et Lacedaemonico, primus instituit, palatio exornato, hoc genere marmorandi. Conf. Plinius H.N. L. XXXV, c. I. Crevit hoc magnificentiae genus sequentibus temporibus, ut non amplius balneis, in aequo solo constructis, contenti fuerint, sed eadem in locis editis suspenderent, et aquam, eamque iam frigidam, iam calidam, tubis, ac fistulis inclusam, pro tempestatis natura, et genio, per parietes deducerent. Suspensuras balneariorum Seneca vocavit Epist. XC. quas primum Sergius Orata inventit, teste Plinio H. N. L. IX. c. LX. quarum pariter mentionem facit Statius Sylv. L. I. III. et L. II. II. et L. III. I. Seneca

L. III. natur. quaest. c. VIII. Plinius L. V. Epist. VI. Immo et bibliothecas in balneis non tam ad usum, quam ad pompam, conditas esse, discimus ex Seneca, de Tranquill. animi c. IX. Iam etiam inter balnearia, et thermas, bibliotheca quoque, ut necessarium domus ornamentum, expolitur. Adeo luxu, et magnificentia, Romani, cum in aliis omnibus, tum quoque pretioso balneorum apparatu, et pompa, diffuebant, ut reliquias, ruinasque, illorum nostra etiamnum aetate vix sine maxima animi admiratione contemplari queamus.

## VI.

Illud autem, arbitror, ex Tullio patebit, L. III. ad Quint. Fratr. Ep. I. ista veteres loca, in quibus balnea exstrebant, balnearia nominasse, variisque partibus, in quibus pro lumbitu lavabantur, distinxisse. Galenus IV. illarum commemorati, Calidarium, in quod ingressi, calido in aere versabantur. προμαλαιήριον alias vocat, L. IX. simpl. medicam. deinde λουτρόν, seu calidam lavationem, frigidam lavationem, ac demum quartam, in qua sudores detergebantur. L. X. method. collato L. III. de tuenda valetudine, et Hali, filio Abbatis, de balneis, Theoric. L. V. c. XIII. Quam tamen distributionem Hieron. Mercurialis, veluti sola suffultam coniectura, non probat, pluresque partes, frigidam nempe lavationem, frigidarium, tepidarium, fudationem calidam, et calidam lavationem, quam vel ipse Vitruvius descripsit, Architectura, L. V. c. X. recenset. de Arte gymnast. L. I. c. X. Non autem errasse, crediderim, Galenum, utpote qui principes tantum enumerat partes, quas sua aetate lavantes in primis frequentabant, quemadmodum id satis manifeste ex L. II. de tuenda valetudine, quo de frictionibus edisserit, intelligi potest: quas vero sequior aetas, crescente luxu, et amplitu-

plitudine, balneorum, auxisse pariter, atque splendidius exornasse, credibile videtur.

## VII.

Ac primo quidem Calidarium illa erat balnei pars, quam tepidus, seu calidus, aër perfundebat, eamque lavantes ingrediebantur ante, quam calida utebantur lavatione, ne propter subitam mutationem offensi, in periculum valetudinis incurrerent, ideoque recte a Galeno προμαλαντήριον, sicut supra diximus, vocatur, quo corpora prius praemolliebantur, et disponebantur, ut sine noxa calidam lavationem reciperent. Si eundem sequi libuerit, fere paria facit cum tepidario, in quo etiam frictiones institutas esse, ex L. II. de tuenda valetudine, discere possumus. Serviebat enim haec pars utrique hominum generi, cum illis, qui calidis lavari cupiebant, tum istis, qui ex calidis egrediebantur, ne ab extremo ad extremum prodeentes, horrerent, ac in offensam valetudinis inciderent. Ab hac tamen Galeni sententia, quam de balneorum partibus, sua aetate magis usitatis, dixit, Vitruvius, ac Celsus, itemque Mercurialis, discedunt, et Calidarium quoque laconicum nuncupatum esse, pertendunt, sub cuius pavimento concamerato succendebatur ignis, e quo calor per structiles tubulos, in parietibus effictos, ut eos Proclus Pandect. L. VIII. de servit. urban. vocat, diffundebatur, qvi operculis aeneis, seu clypeo rotundo, et catenis annexo, obtecti, pro huius reductione, vel suppressione, calorem moderabantur. Hanc sudationem calidam, assam vocat Cicero l. c. quia siccus calor sudorem largum eliciebat, et redundantes in corpore humores exhatiebat. Conf. Celsus L. II. cap. XVI. Atque haec artificialis est. Praeter quam habuerunt etiam naturales, in quibus calidus vapor, e terra exspirans, et apto suscepitus aedificio, sudores ciebat, quales in Etruria, et Baiis, ut alias reticeam, plures

erant, de quibus ita scribit Strabo, Geograph. L.V. πολλὴ δὲ καὶ τῶν Θερμῶν ὑδάτων αἱ φθονία καὶ τὸν τυρρηνίαν εἶναι· οὐχὶ ἡ τῆς δὲ εὐανδρεῖτῶν εἰς βαῖσις, αἱ διωνομαστὰ πόλλῳ πάντων μάλιστα. Confer. Vitruvius, l.c. L.VIII. c.III. quo magnum numerum calidarum aquarium, earumque naturas, et vires, recitat. A calida vero, eaque sicca, proxime aberat humida, sed pariter calida lavatio, qua utebantur isti, qui sordes a corpore in aquis calidis abluere cupiebant. ζεσὸν λουζέον graece vocatur, quia ab accenso igne calefiebant aquae, ut semet ab illis, quas calor subterraneus, incensusque pyrites, calefaciebat, et sigillatim θερμαὶ ὕδατα nuncupantur, distingverent, quibus in primis illi delectabantur, qui curandae valetudinis rationem habebant, quemadmodum infra dicturi sumus. Istud autem h. l. notari interest, τὸ λουζέον αἱπὸ τὸν λουζέον differre, et illud aquam, sordibus seu strigmentis a lotione inquinatam, quod nos docet Eustathius λουζτρον μέν τοι μοναχῶς τὸ αἱπόλουμα, ἢ γλίττων εἰς ταῖς σιμβάσεσσι γινόμενον εὔπορον Odyss. Z. hoc vero aquam, qua quis lavabatur, seu ipsum lavacum, denotare. Iliad. O. quam etiam notionem in sacro novi federis cotice tenet. Ephes. V. XXVI. Tit. III. V. Sed haec pro technicis. Nunc de frigida lavatione dicamus.

## VIII.

Haec fiebat in eo balnei loco, quo piscina, aquae frigidae plena, quam Plinius iunior l.c. baptisterium, graeci λουζῶνα, vocant, posita erat, quamque illi prosequebantur, qui aestate gelidis lavacris delectabantur, aut valetudinem suffulcire, viresque tueri, et obfirmare, cupiebant, quod Augustum, et Alexandrum Severum, Caesares, fecisse, a Svetonio, et Lampridio, in illorum vitis memoriae proditum est. Illa autem aqua plerumque dulcis erat, et fontana, vel a pluviosis collecta, aut a fluminibus per aquae ductus ad balnea corrivabatur,

vabatur: quanquam Nero ob immensam, ac profusam, suam libidinem his contentus non fuit, sed marinas per canales, maximis sumptibus constructos, in suas thermas deduci curavit. Incoabat praeterea, scribit Tranquillus, piscinam a miseno, ad avernum lacum, coniectam, porticibus conclusam, quo quicquid totis Baiis calidarum esset, converteretur. In Nerone c. XXXI. Quemadmodum ante eum idem fecisse Caligulam, citatus Svetonius scribit, qui novum balneorum usum commentus est, fabricavitque de cedris liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum, et porticum, et tricliniorum, laxitate, magna que etiam vitium, et pomiferarum arborum varietate, in Caligula. Quos intericto tempore imitatus est Heliogabalus, qui condito piscinas, et solia, temperavit, et rosato, atque absinthiato vulgus ad bibendum invitavit, nec, nisi unguento nobili, ac croco, piscinis infectis, natavit. Lampridius in eius vita.

## IX.

Denique etiam aderat locus, in quo e balneo egressi, sudores detergebant, ac tamdiu morabantur, quo usque conceptus in balneo calor refederat: quo facto, inungebantur, non quidem hoc in loco, quemadmodum credibile videtur, sed eo, qui elaeothesium, aut, ut est apud Pollucem, ἀλευπήγιον vocabatur. Atque hoc inungendi more in primis Graeci, et, qui eos consecuti sunt, Romani, cum ante ingressum, tum post egressum, balneorum delectabantur, quod praeter Hippocratem de Diaeta L.III. Galenum, de tuenda valetudine L.VI. et Martialem, L.VII. Epigramm. XXXII. his antiquior Homerus docet, Odyss. r. et odyss. k. ubi scholiaста ita commentatur. ἐλάγω δὲ ἔχριστοι οἱ λουσάμενοι, ἐμπλακέτους τοὺς σωματικοὺς πόρους, ὡς αὖ μάλιστα λουτρούς σέγοιεν

σέγοιεν τὴν υγρότηλα. Ac primis quidem temporibus merum tantum oleum adhibebant, vel id aqua simplici commiscebant, ut eo facilius meatus corporum subiret, et membra, a nimio calore adusta, et exiccata, remolliret. Subinde in eius locum butyrum, sale non conditum, substituebant, quod discimus ex Galeno de aliment. facult. L. III. c. V. saepe etiam, ad libidinem explendam, ungventa variis odoribus, et iis sive oleolentibus, temperata, eaque nunc humida, nunc sicca, diapasmata alias appellata, in usum vocabant, quibus vel sive vavem odorem sibi conciliare, vel nimium profluentes sudores comprimere, ac coercere, connitebantur. οὐχ αἰωλῶς ἐλαίῳ πρὸς θεραπείαν ιατρικάτερον οἱ παλαιοὶ ἐχέοντο συνθώσι, αἷλα καὶ πολυτελῆ ἐχρᾶντο ἐλαίῳ, καὶ μύροις. Eustath. Odyss. z. Credibile autem videtur tam Graecos, quam Romanos, inungendi artem, et morem, ab Aegyptiis accepisse, quia, ut Plinii verbis loquar, terrarum omnium accommodatissima fuit ungventis Aegyptus. H. N. L. XIII. c. III. eaque diutissime perdurarunt, ut post Theophrastum Libr. de odoribus, et Dioscoridem L. III. c. XLVII. Prosper Alpinus de Plant. Aegypt. c. II. scriptum reliquit.

## X.

Hae autem principes balneorum partes ita erant extuctae, ut quaelibet, si natura loci id permiserit, secundum certam coeli plagam, et regionem, disposita fuerit, ac temperati, sibique necessarii, aëris per flatum caperet, nec minus intus versantes clarae usura lucis frui possent. Vitruvius L. V. c. X. Oribasius L. IX. Coll. c. X. Aerem vero intra balnea pro lubitu, per impressos parietibus tubos, moderabantur, isque temperate calidus erat, ut etiam febientes ista ingrederentur, ac mulieres cum pueris in illis cibum sumerent, quemadmodum apud Plutarchum scriptum reperio

perio, L.VIII. Sympos. probl. IX. qualiaque forsan fuerint Neronis, si Martialem audiamus. Epigr. L. III. Epigr. XXV.

Si temperari balneum cupis fervens  
Faustine, quod vix Julianus intraret;  
roga, largetur rhetorem Sabineum:  
neronianas is refrigerat thermas.

Insequenti vero tempore hic temperati aeris usus in balneis fere in desvetudinem abiit, ac tanto calore illa perfusa sunt, ut incendio similima viderentur, quo forsan melius cruditates, ab intemperantia in corpore accumulatas, excoquerent, et, profuso largo sudore, avidius sitim quaerent, quibus tamen et valetudini vim intulerunt, ac succis vitalibus corpus privarunt, quia balnea, quae primo ad salutem inventa sunt, dum illi male iis utebantur, in perniciem, et exitium, cadebant.

## XI.

Neque demum illud praetereundum est, tempus lavandi penes veteres ita fuisse ordinatum, atque constitutum, ut brachia, manus, et faciem, singulis quidem diebus abluerent, corpore vero toto solum nundinis lavarentur, uti ex Seneca discimus, Ep. LXXXVII. post Pompeii M. vero aetatem, qualuxu, et intemperantia, Romani iam diffuebant, quotidie toto corpore lavari coeptum est, maiorque hominum pars ob mollitiem, et delicias, balneis indulgebat, quae libido usque adeo profusa fuit, et invaluit, ut nonnulli cibos neque ferrent, neque caperent, nisi loti, multi etiam extingverentur, veluti Titus Imperator, qui hac de causa interiit, ut ex sermone eorum, quiaegrotanti ministrarunt, prodidit Plutarchus, Libr. de tuaenda valetudine. Merito igitur Plinius in illos medicos invectus est, qui balneis ar-

C

den-

dentibus cibos confici, rati sunt, e quibus tamen plerique minus validi exibant, obedientissimi autem efferebantur, H. N. L. XXIX. c. I. Hoc profusum lavandi studium postea, sancito publice interdicto, prohibuit Caesar Hadrianus, qui ante octavam horam neminem, nisi aegrotum, lavari concescit, ut auctor est Spartianus in eius vita. Plerumque vero paulo ante, quam cibos sumebant, lavabantur, quod cum multis in locis Homerus docet, tum illud praecipue Iliad. K. his verbis declarat:

τὰ δὲ λοεσσαμένα, καὶ ἀλεψαμένα λίπ' ἐλαύω  
δέπτω εὐφράντην.

Conf. Odyss. Δ. Θ. K. quo scholiaста, conquisitis ex veteri memoria exemplis, hunc morem confirmat. Non raro etiam exercitationibus prius operam dabant, quam balnea ingrediebantur, quod praeter Galenum, Libr. de parvae pilae lusu, Horatius docet L. I. Serm. Satyr. VI.

ad quartam iaceo: posthanc vagor: aut ego lecto,  
aut scripto, quod me tacitum iuvet: ungor olivo,  
non quo fraudatis immundus Natta lucernis.  
ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum  
admonuit, fugio rabiosi tempora signi,  
pransus non avide, quantum interpellet inani  
ventre diem durare, domesticus otior.

Non tamen peraeque omnes hoc tempore delectati sunt: fuerunt namque tempestate Galeni, qui etiam ab sumptis cibis, nulla habita valetudinis ratione, sed voluptatis solum caussa, lavabantur, unde non modo febres sine rigoribus, sed etiam alia morborum genera nata sunt; quemadmodum et illi in offendam sanitatis incidebant, qui ipransi exercebantur, quia exercitationes, eaeque violentiores, post sumptas epulas confectionem ciborum turbant, ac succutiendo

cor-

corporis machinam, illam labefaciunt, atque cruditatibus variis, a vehementi commotione in sanguinem vi adactis, illius integritatem polluunt, ac gravissimorum morborum fundamenta ponunt. ἀσπερ γὰρ, scite scribit Galenus μεγίστου εἰσιν εἰς τὴν ψυχήν τὸ πρὸ τοῦ σῆμαθαι γυμνάσιον. οὐτωκαὶ Βλαβερώτατον επὶ σίτοις ή πᾶσα κίνησις. Libr. de cibis bon. et mal. succis. Aliis iterum in deliciis erat hora IX. qua etiam lottum esse Iul. Caesarem, ex Tullio L. XIII. Ep. ad Att. ult. meminimus. Ille tertiiis saturnalibus apud Philippum ad horam VII. nec quenquam admisit, rationes, opinor, cum Balbo. Inde ambulavit in littore: post horam VIII. in balneum, tum audivit. de Mamurra non mutavit, unctus est, accubuit. Neque etiam me latet, quosdam aliis horis vel alicuius affectionis, aut consuetudinis, vel alias rei causa, balnea ingressos esse, sicuti hoc ex Martiali L. V. epig. VIII. et Lampridio in Vita Alexandri Severi Imperatoris, constare potest. Hunc vero balnearum usum frequentiorem reddidisse, aiunt, Asclepiadem Prusiensem, qui cum quendam romae, alta tactum exanimatione, ac pro mortuo elatum, brevi ope caloris in vitam revocasset, magnam sibi gloriam, et nominis celebritatem, comparavit, et crebriorem eorum usuram effecit, quemadmodum post Celsum L.II. c.VI. Apuleius Libr. IV, Florid. scriptum reliquit.

## XII.

Ex his autem, quae hactenus eam in sententiam de balneis Veterum exposuimus, clarum, arbitror, atque manifestum, erit, primum usum fuisse, ut sordes a quotidianis laboribus, atque sudoribus, corpori aspersas, eluerent, mundoque corpore incederent. Antiqui enim, quibus vestimentorum usus vel incognitus, vel infrequens, fuit, maximam partem nudi obambulabant, indeque varia

inquinamentorum illuvie corpora conspurcabant, quae dum multum molestiarum creabant, ac insuper consuetudinem hominum inservavem, et ingratam, efficiebant, balneorum usus, et consuetudo, introducta est. Quemadmodum etiam a ratione non alienum videtur, istos, qui postea in gymnasiis exercebantur, ac pulvere, et sordibus, corpora polluebant, eandem pariter ob caussam operam dedisse balneis, indeque usum balneorum in gymnasia quoque inventum esse. Haec respiciens Vegetius scribit, Romanos ante usum illorum campum martium, Tiberi vicinum, delegisse, ut romana iuventus cum in illo exercitationes iniret, tum in hoc sudorem, ac pulverem, ablueret, L.I. de re milit. c.X. Posteriori tempore haec lavandi consuetudo in medicinam quoque recepta, et ipsis remediis adscripta est, quae externe valetudini opem ferunt, eamque vel suffulciunt, et constabiliunt, vel morbis fractam, ac eversam, instaurant, et salvam, sospitemque, sua sede fistunt.

## XIII.

Quemadmodum vero magna est naturarum humana-  
narum varietas, et discrepantia, et qui his remediis offenduntur, iisdem alii sublevantur, ita balnea non peraeque omnibus vel noxia, vel salutaria, esse solent. Primo autem loco de frigidis dicturi sumus, quibus in primis Indos del-  
ctatos, atque hanc morbos curandi rationem iis perfa-  
miliarem fuisse, patet ex Strabone, L X V. Geograph; quos etiam imitati sunt Cantabri, qui non solum frigidis morbos sanabant, sed etiam mulieres, quod miratione dignum est,  
*νῆπια πρὸς τὶς οὐράνιον ἐκκομίζουσι, λόυσασαι, καὶ σπαργανώσασαι, οἵς εἶχον, διασώζουσιν οἴκαδε l.c. L. III.* Atque hunc frigidarum usum, post Indos, primum omnium Euphorbum, Iubae Regis medicum, pariter svasisse aegrotis, autor est Polybius,

bius, et Tacit. L.II. Hist. c.LVIII. Quem secutus est Antonius Musa, qui cum Augustum balneis calidis videret frustra fatigari, contraria, ut scribit Plinius, medicina gravi eum periculo exemit, et, damnato thermarum baianarum usu, frigidas commendavit. l.c. L.XXIX. c. I. Quo factum est, ut crebro postea Augustus aqua marina pro balneis usus sit, vel etiam Albulis frigidis in agro Tiburtino, salubribus, et a Strabone multum celebratis, potis pariter, et pro balneo usurpatis: quales etiam sunt non procul inde Labanae aquae in agro Nometano, et circa Eretum. l. c. L. V. Quem lavandi in frigidis morem postea imitatus etiam est Horatius, Augusto intima familiaritate iunctus, qui, cum lippitudine oculorum laboraret, et diu calidas baianas adhibuisset, quibus tamen morbus deterior fieret, eiusdem Musae consilio illas deseruit, atque balneis frigidis aliquandiu usus, cum valetudine oculorum rursus in gratiam rediit. L.I. Ep. X V. Iisdem frigidis semet recreavit Agathinus apud Oribasium, cuius verba non piget in medium afferre: equidem saepenumero a coena, cum aegre in somnum delabor, propter aestatem in frigidam descendere consuevi, et mirabile est, quam iucundam noctem trasigam, LX. Coll. c. VII. Quapropter multum quidem gelidis tribuimus lavacris, non tamen in omnibus sequi vellem Charmim, medicum Massiliensem, qui, rejecto calidorum usu, omne curationis momentum in frigidis posuit, et hyberno etiam tempore iisdem lavari sanos, in lacus vero aegrotos, non ubique pari cautione, et fortuna, demergi iussit; quem imitatus est Seneca, qui sese psychroluentem appellavit, Ep. ad Lucil. Neque etiam hic mos utendi balneis frigidis nostra aetate exspiravit: nam et vulgus iisdem ad roborandas vires, et abluendas fordes, delectatur, et apud Britannos tam felici successu

cessu morbi sine remediis, facta per alyum, vesicam, et perspirationem, excretionem, sanantur, qui alias vel sero, vel nunquam, medelam admiserunt. Ut recte scripsisse mihi videatur Io. Foyerus, quando aquas in agro Bucosteniensi ad temperiem, et vires, Albularum frigidarum, et Labanarum accedere, iisdemque morbis mederi, existimaverit, de Balneis in Dedicat.

## XIV.

Vt ebantur igitur Veteres frigidis balneis cum ad sanitatem tuendam, tum ad morbos depellendos, atque corpus obfirmandum. Nam adusti a calore, et succis vitalibus maximum partem privati, frigidas ingrediebantur, a quibus, coarctatis meatibus cutis, qui antea patentiores erant, larga succorum vitalium exhalatio coercebatur, atque, redacta in ordinem sangvinis circuitione, ille placido, sedatoque, et convenienti naturae motu, per corpus iter suum faciebat, hincque, refectis paululum viribus, ac villis cutis arefactis remollitis, et relaxatis, pristinus, ac naturalis, vigor corporis instaurabatur. Sigillatim vero frigida fomenta illis, qui fervidiore sangvinis temperie, et constitutione biliosa, praediti sunt, opitulantur, qualem fortasse habuerit Augustus, qui, ut Tranquillus in eius vita commemorat, graves, et periculofas, valetudines per omnem vitam expertus est, quas tamen magna cura tuebatur, in primis lavandi raritate. Vngebatur etiam saepius, et sudabat adflammam, deinde perfundebatur egelida aqua, vel sole multo calefacta. Huiusmodi enim sangvinis fervidiorem temperiem, ut calida quaevis multis modis acount, et incidunt, ita frigida, quae sanginem roscidis particulis perfundunt, et aequabilis eius mixtionem tuentur, mirifice conducunt, atque morbos, serum sangvinis consumentes, extinguunt. Cui rei in-

indicio sunt hectici, et febribus ardentibus, cum phrenitide coniunctis, haemorrhagiis item, ac doloribus ventris, alvi-que obstructione, deliquio animi, et aliis malis conflictati, qui-  
bus frigida opem ferunt, eaque sigillatim Τὰ ἐν ἀρθροῖσιν ὁδῆματα καὶ αἰλυγήματα ἔνευ ἐλκεθεῖσαι, καὶ ποδαγρικά, καὶ σπάσματα, τουτέων ταῦ πλεῖστα τὰ ψυχρὰ πολλὰ καταχεόμενα ῥηγεῖ, τε καὶ ισχνάντες, καὶ ὁδύνην ναρκεῖ. Hipp. de humidorum usu, X. collato L.I.no.Epi-  
dem. XVIII. et Epidem. L.II. X. et de locis in hom. no.LVII.  
Eiusdem quoque sententiae fuit Galenus, quando tertiana  
febri afflictis, ut ungantur, balneum frigidum ingredian-  
tur, ibique madefiant, et, si velint, etiam natent, permisit.  
L.I. ad Glauconem. Conf. Oribasius L.VI. c.XXVII. Ita  
quoque lavantes in mari salubriter exinaniri, scribit Aristot.  
Probl. XII. et XIV. Eustathius vero eadem vitiis nervorum  
mederi, commentatur ad Iliad. κ. his verbis. Θεραπευτι-  
κώτερον δὲ εἰς σῶμα τὸ λουτρὸν κατασκευασθὲν ὑπὸ θεραπόνων κα-  
τὰ τὸ σιωπώμενον. ἐνταῦθε δὲ σοφός τις γράφει, ὅτι κόπος μὲν θε-  
λάτη λουόντες ἐθεραπευον, ή μάλιστα νευροῖς προσφερθεῖ, αναχαλῶν-  
τες δὲ τάχις ἐμβάσσεσι τὰς τῶν μυῶν συνήστεις Conf. Iliad. Δ, qui-  
bus et lasitudinem membrorum eximi, atque vires refici,  
prolixius declarat. Sic Cutiliis, aliisque locis, aquae frigidissi-  
mae sunt, aptissimae stomacho, nervis, et universo corpori,  
quae potionibus depurgant, per alvumque transeundo, et-  
iam strumarum minuunt tumores. Plin.H.N. LXXXI.c.II.  
Cydnus in Ciliciae civitate Tarso fluvius est, isque frigidissi-  
mus, quo podagrici crura macerantes, levantur dolore. Ar-  
rianus de rebus gestis Alexandri, L.II. Curtius L.III. Non  
tamen censendum est, semper lavantes, mare, aut lacus, vel  
flumina, ingressos esse; habebant enim aliae gentes suas pi-  
scinas, quas graeci ιολυμβήθρας vocant, quarum etiam mentio  
fit in sacro novi federis codice. Ioan.IX. v. VII. quo servator  
noster

noster ad coecum dicit: ὅπαγε, νίψα εἰς τὸν κολυμβήθραν Τοῦσιλωάμ: in his enim modo natabant, modo lavabantur, prout valetudinis ratio postulabat. operaे pretium faciet, qui hanc in rem legat Athenaeum L.XII. Deipn. Atque has ob cauſas etiam factum esse, arbitror, ut illi, qui cupiditate roborandi corpus ducebantur, frigidis lavarentur, a calidis vero, ut pote quae corpus αἰθερός, καὶ μαλακόν, efficiebant, abhorrent. Quamobrem Alexander Severus haec militibus interdixit, istos vero, qui illis lavabantur, comprehendere, et in vincula coniicere iusfit. Lampridius in eius vita: quod ante eum Scipionem Aemilianum, et Metellum, fecisse, a Plutarcho, Aurelio Victore, et aliis, memoriae proditum est.

## XV.

Vt frigida, ita etiam calida balnea, apud veteres frequenti in usu fuerunt, quae modo ad levandas lasitudines, et corpora emollienda, graece αἰθερπογναφεῖα vocata, modo ad sanandos morbos, adhibebant. Non tamen pares omnibus fuerunt vires, et operandi facultates. Illa enim, quae sigillatim θρηνοῦστα vocantur, tanto salubriora communibus balneis, eisque anteponenda sunt, quantum humana industria superior est princeps omnium, et parens natura. Vt merito illorum errorem, et rerum naturalium, quarum cauſas natura studiose abscondit, inscitiam, coargamus licet, qui balnea calida naturalibus non solum similia, sed etiam iisdem superiora, arte confici posse, existiment. Qui enim illi naturam imitari poterunt, quae suas operationes a sensu oculorum removit, quasque ipsi neque cognoscere, neque exponere queant, et si vel maxime eas cognitas haberent, non tamen pari fato, et successu, istas imitari liceret? Nihil equidem solutionibus saluum, et eorum viri-

viribus, quas in corporibus nostris exerunt, derogabo: multo minus thermas e salibus, calce viva, et sulphure, arte paratas, improbablo, quarum quippe commoda sibi constant; attamen vero illum, qui eas naturalibus similes, vel salubriores, effecerit, neque aetas nostra tulit, neque unquam, reor, visura est. Hoc enim facile quivis intelliget, quicunque secum perpenderit, thermas naturales pyritae halitibus imbutas esse, easque salia, in exilissimas moleculas divisa, detinere, in quas illa ab arte solvi, atque dividi, nullo modo possunt. Quae etiam respiciens Verulamius, artem imitandi balnea naturalia, dissolvendo in aqua sulphur, vitriolum, ac salia, in desideratis medicinae numeravit. De Augment. scient. Atque hae exhalationes pyritae sunt, quae non solum ignem subterraneum gignunt, sed etiam aquis, et quibusvis calidis fontibus calorem suum impertiuntur, quatenus illae per venas sulphurosi profluens pyritae, illum paulatim solvunt, eiusque sulphureas, et ferreas, moleculas continuo linetu imbibunt, atque agitando, et ad invicem magno nisu collidendo, ferventes efficiunt, ut ipsae ab hoc aestu parem, et aequalem, calorem nanciscantur. His pyritae halitibus salis nitroso, cum tenuissimis particulis calcariosis, vel gypseis, permisti, particulae accedunt, quibus omnes thermae iam maiore, iam minore copia, abundant, eisque vim urinam, et alvum, carentem tribuunt, quod Th. Gvittodus Tr. de thermis Britannicis, Dn. du Clos, obf. de aquis mineral. Gall. Cl. II. L. XXXI. c. XII. Blondellus descript. therm. Aquisgr. c. IX. Sommerus de thermis Karol. Corn. Consentinus, Prog. de sens. Io. Bapt. Donatius de aquis Villensi. et alii, qui de istis commentati sunt, ita exposuerunt, ut dubitare non amplius liceat. Huiusmodi vero calidarum praeter Ger-

inaniam, Britanniam, Galliam, et Hungariam, plenus, foecundusque, est tractus ille Italiae, qui a Cumis usque in Siciliam protensus, Aetnam, et Liparenses insulas, agrumque Puteolanum, et Neapolitanum, Baianumque, et Pithecienses, ambitu suo complectitur, quod ex lectione Strabonis, Plini, Solenandri, Leon. a Capua, et aliorum satis, abundeque, constare potest.

## XVI.

Quum igitur huiusmodi particulae bene inter se commistae, et temperatae, calidarum aquarum compositionem ingrediuntur, manifestissime, reor, patebit, illas tam ad tuerendam valetudinem, quam ad sanandos morbos, permultum valere, sive interne, sive externe, iisdem utamur. Itaque in omni sanguinis cacochymia, indeque natis obstructionibus, et viscerum indurationibus, malo corporis habitu, suppressione mensium, nephritide, arthritide, podagra, spasmiss, affectibus cutaneis, hysterics, et generis nervosi, in veteratis capitis doloribus, sterilitate, et cunctis herculeis morbis, qui ab humorum vitalium impuritatibus generantur, merito commendantur, et reliquis medicamentis multis modis anteferri debent. Omnis enim aqua calida, scribit Vitruvius L VIII. c. III. ideo quidem est medicamentosa, quod in praeviis rebus percocta, aliam virtutem recipit ad usum. Namque sulphurosi fontes nervorum labores reficiunt, percalefaciendo, exugendoque caloribus e corporibus humores vitiosos. aluminum autem, cum dissoluta membra corporum paralyssi, aut aliqua vi morbi receperunt, foven- do per patentes venas refrigerationem contraria caloris vi reficiunt, et ex hoc continenter restituuntur in antiquam mor-

morborum curationem. bituminosi autem interioris corporis vitia potionibus purgando, solent mederi. Quae dum Veteres, subducta secum ratione, perpenderunt, iustum quoque habuerunt caussam, quamobrem thermas calidas nuncuparunt divinas, quia caussae caloris ignari, et imperiti, praesentiam numinis, tanquam autoris, inesse crediderunt, uti id Claudianus de fontibus Aponis manifeste declarat.

**Quis casum meritis adscribere talibus audet?**

**Quis negat autores haec statuisse deos?**

Ille pater rerum, qui secula dividit astris,

Inter prima poli te quoque sacra dedit.

Et fragilem nostri miseratus corporis usum,

Telluri medicas fundere iussit aquas.

Quae cum ita sint, quivis iam intelliget, aquas calidas, arte factas, et particulis sulphureis, ferreis, nitrosis, quibusve, habita caussarum ratione, herbae aromaticae, et alia, incoixerint, imbutas, salubres quidem esse, ac in praefatis morbis usurpatas, multum auxilii afferre, nequaquam vero ad salubritatis praestantiam naturalium accedere, multo minus illis aequiparandas esse. Quanquam hoc loco illorum morem sequi nolle, qui aquas calidas tam naturales, quam artificiales, ad omnes morbos utiles esse, putant, et, coeconi ducti impetu, pro remedio universali, et sanandis cunctis morbis accommodato, habent, cum tamen manifestum sit, has aquas praeter vires salis sui nitrosi, aquis diluti, et calore, pyritaeque halitibus, in praeognatas, nihil efficere posse. Cui rei argumento sunt morbi venerei, et illi, qui tantam

aquae, salisve, copiam non ferunt, sed illis saepius exasperantur, atque aliis, iisque potentioribus, remediis sanari debent. Quapropter magna circumspectione opus est, ne quid temere agamus, et immaturam mortem pree valetudine acceleremus, sed rei medicae, et harum aquarum peritus, in consilium adhiberi interest, cuius partes sunt, ut cognitionem naturae aegrotantis, caussae morborum, et remediorum, habeat, et quodnam ex his, et quo tempore, et quanta copia convenient, subiecta secum probe ratione, praescribat. Praeclare, ut multa, scribit Ill. Boyle de aquis mineral. S. II. n. VII. Summe autem necessarium videtur, ut medici tam naturae aquarum, quas aegrotis commendant, quam quibus tam personis, quam morbis, et quoniam etiam modo, praescribunt, prospiciant, et attendant. Tametsi enim innoxia medicamenta quibusdam habeantur, et ex illorum numero, quae, si non profuerint, saltim nequeant obesse, effecta tamen illa, quae imprudentem illarum usum, praesertim diurnum, saepius, quam par est, comitari solent, monent, mineralium aquarum usum, quo cum nemo ludere tuto potest, tanquam titivitium, floccifaciendum non esse, unde ut beneficii non parum videmus, ita etiam nocimenti non exiguum inde oriundum, praesertim aliquando, quum operatio penitus desierit, et forsan etiam eiusdem recordatio utentis memoria omnino exciderit.

## XVII.

Denique etiam Veteres, modo valetudinis, modo voluptatis, caussa ungebantur, et nonnunquam ungventis delibuti, ingrediebantur balnea, sicuti hoc docet Galanus L. VI. detuenda valetudine: interdum a balneis oblinebantur, quod

quod Homeri tempore uitatum fuisse, ex Odyss. r.  
discimus:

Αυταὶ εἴπει λοῦσεν, τεκαὶ ἔχεισεν λίπ' ἐλάγω.

Conf. Odyss. Δ. et Odyss. Ρ. Vt ebantur autem ungventis, ut membra, ab aestu adusta, et excicata, nunc humectarent, et remollirent, quia unctio, sicuti Hippocrates L. II. de Diaet. n. XXXV. scribit, υγράνει, ημέρα μαλάσσει: nunc largiorem sudoris eruptionem compescerent, ne viribus privati, et delassati, nimium enervarentur, atque labores recte sustinerent, Lucianus περὶ γυμνασίων: nunc in balneis acquisitam humiditatem retinuerent, πρὸς σύμφραξιν τῶν σαματιῶν πόρων, ut Eustathius l.c. scribit, ne fibrae a calore, vel frigore, nimium arefactae, et adstrictae, corrugarentur. Ideo praecipit Hippocrates, ἐλάγω τὴν χρίσιν ποιέεθαι ημέραι, ημέραι τοιούταις, πρὸς αὐτὰς τῶν τοιούτων Φαρμάκων δεόμεθα. de Ulceribus. IV. Et profecto hoc usus, et experientia, docet, huiusmodi inunctiones oleorum, pro canissarum varietate temperatorum, cum ad remolliendos, et relaxandos, corporis villos aridiores, et rigidiores, tum in resolutionibus, affectibus generis nervosi, reliisque morbis, a fervidiore sanguinis temperie natis, permultum valere, et interne propinatis medicamentis non contemnendam opem ferre, quod lectio scriptorum medicorum, ac eorum, qui ex instituto praxi operam dederunt, et multa horum remediorum genera, literarum monumentis consignata, posteritati reliquerunt, manifestissime declarat, ad quos horum cupidos remittimus.

## XVIII.

Atque haec habuimus, quae de balneis Veterum  
valetudinis carissima adhibitis, occasione citati supra loci  
Horatiani, exponeremus, quorum usus, et consuetu-  
do, nostra etiamnum aetate per frequens est, et a peri-  
culosis morbis, reliqua remedia sero, vel nunquam,  
admittentibus, aegrotantes exemerunt. Quod deman-  
dandum non est, quoniam ea medicamentorum auxi-  
lia, quae nobis natura fert, vel gignit, illis, quae ars,  
omni etiam adhibita industriae contentione, elabo-  
rat, et conficit, multis modis antecellunt, et felicio-  
rem in sanandis morbis exitum habent. Ut propter-  
ea Galenicam curandi rationem chemici non adeo  
proscribere, et sua per artem confecta remedia, ac ar-  
canas auri, argenteique, tincturas, vel aura potabilia,  
istis anteponere debeant, utpote quae nihil aliud sunt,  
quam quaedam solutiones superficiariae, et tincta  
menstrua, adeoque hoc commodi habent, ut crume-  
nam quidem, (nam propter colorum elegantiam  
magno veneunt,) locupletent, praesentem vero va-  
letudinem neque tueri, neque labefactatam instaura-  
re possunt. Esto vero, quod aliquid auxilii attulisse  
visa sint, hoc profecto in eo constitit, ut illis, qui huius-  
modi auris potabilibus delestat sunt, et multum tri-  
buerunt, viam communierint, qua ex hac mortalitate,  
quae plena est calamitatum, ab omni morborum, et  
miseriarum, genere erepti, et sic satis pretioso viatico  
instructi, in aeternas sedes citius, quam opinati sunt,  
proficisci potuerint. Legatur hanc in rem Ludo-  
vici

vici Diff. I. Pharm. moderno seculo applicandae. Constitit ergo nulli via nota magno. Et retulit mihi aliquando medicus, scribit Barthol. de Moor Cogit. de instaur. med. L.III. qui in chemicis experimentis multum operae posuerat, quique impostorum technas plures detexerat, sese, valere iussis hisce remediis, iam longe felicius, et tutius, praxin exercere, vegetabilia in primis in usum vocando. Idem quoque de medicis Indis, apud quos tamen artificiosa metallorum praeparatio valde viget, commemorat, et sese ex relatu ex India reducum cognovisse, ait, non nisi vegetabilia, et quidem felicissime, ab illis in usum vocari. Atque his de caussis motus videtur celebris quidam medicus Britannus, religione prope Iudeus, lectione librorum tanquam Arabs, ut dicere solitus sit, medicos Europaeos esse quidem viros doctos, sed non nosse particulares curationes morborum, adeoque similes esse episcopis, ligandi, et solvendi, claves habentibus, et nihil amplius. Verulam. de augment. scient. p. m. CIX. Ut adeoque huiusmodi tinturarum confectiones fato Tantali uti videantur, de quo Homerus Odyss. A. et Euripides in Oreste, commentantur, eum perpetua siti divexari, et in aqua esse perpetuo, quae usque ad mentum assurgit, sed quoties labris attingere eam conatur, illa statim refugit; quod ipsum faciunt varia fructuum genera, quorum desiderio semper discruciatur. Conf. Boyle in Chymista Sceptico, et Erasmus in encomio Moriae. quo, quid lucri ex confectione horum remediorum in artifices redundat, exponit, cuius verbis etiam finiamus. Ad quos, pergit ille, mihi quam proxime videntur accedere,

**52 DE BALNEIS VETER. VALET. CAVSSA ADHIBITIS**

dere, qui novis, et arcanis, rerum species vertere  
moliuntur, ac terra, marique, quintam quandam  
essentiam venantur. Hos adeo lactat mellita spes,  
ut neque laborum, neque impensarum, unquam poe-  
niteat, miroque ingenio semper aliquid excogitant,  
quo se denuo fallant, sibique ipsis gratam faciant  
imposturam, donec, absuntis omnibus, non sit, quo  
iam fornaculam instruant. Non desinunt tamen  
iucunda somniare somnia, ceteros pro viribus ad  
eandem felicitatem animantes. Cumque iam pror-  
sus omni spe destituuntur, superest tamen una sen-  
tentia, abunde magnum solamen, in magnis et  
voluisse, sat est. Novissime illud adhuc monerire refert,  
quaedam errata ex incuria irrepsisse, et ita mendanda  
esse, ut procommemorati legatur com memorat, pro  
cotice, scribatur codice, et si fortasse unum, aut al-  
terum erit, in quo vel literae deletae, retentae,  
vel retinendae, abiectae, vel commutatae sunt, quae  
ut emendet benevolus lector, per officiosę rogatur,

**I.**

Qualis terra, tales aquae, quae eandem interlu-  
unt, et tales fructus, qui in illa proveniunt.

**II.**

Aeidum catholicum per terrae meatus fluens, et  
salia, ac metalla, arrodens, est commentum.

**III.**

Vt ignis actualis subterraneus nullus, ita nullae  
lucernae perpetuo ardentes.

**IV.**

Quandoque thermae intereunt, quandoque no-  
vae oriuntur.